

Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE EO
QVOD JUSTUM EST
CIRCA
E N E M A T A,

QVAM
EX DECRETO GRATIÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB UMBONE
DN. GEORGII CHRISTOPH.
DETHARDINGII,
PHILOSOPH. & MEDICINÆ DOCTORIS, HUIUSQVE
PROFESSORIS DUCALIS PUBLICI & ORDINARIJ,
FACULT. MED. A. H. A. DECANI,
PRO GRADU DOCTORALI
LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDO;
IN ACADEMIÆ VARNIACÆ
AUDITORIO MAXIMO



Die ix. Maji A. O. R. MDCCXXXVII.)
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

AUTOR ET RESPONDENS,
CAROLUS GODOFR. GELLER,
GEDANENSIS, PRACT. WITTENBURGENSIS.

R O S T O C H I I,
Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS
& ACAD. Typographi,

Chirurg.
55, 29

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



PRÆFAMEN.

FAbulas, opiniones, præjudicia receptæ doctrinæ e foro Medico proscribere, nec unius ævi, nec unius Medici opus est; poterit tamen eventus magis prosper cum tempore exspectari, si quando Philiatrī & in Theoria & in Praxi probe versati, speciosa discernendo à veris, fallacias causarum non causarum monstrando, in nullius verba jurantes, sed soli veritati studentes, tam Veterum prolata, licet quandoque immatura satis, quam asserta Recentiorum,

A variis

variis ut plurimum figmentis incrustata provi-
 de ad lapidem experientiæ lydium examina-
 verint. Non equidem Scientia Medica ad-
 mittit Demonstrationem sic dictam Mathe-
 maticam, nec ulla fere scientia præter Ma-
 thesin ipsam in sese continet veritates vere de-
 monstrabiles; haud tamen exinde inferre li-
 cet, artem nostram esse conjecturalem, nullis-
 que inniti firmis fundamentis, sed prouti in
 aliis scientiis veritates deprehenduntur, quæ
 & invitos in sui amplexus cogunt, quamvis
 varia subinde reperiantur intermixta figmenta,
 ita est cum Medicina comparatum, ut firma
 existat, hinc in salutem generis humani sin-
 gulis fere momentis applicetur, licet hinc in-
 de adhuc deprehendantur hallucinationes,
 non arti, sed cultoribus ejusdem tribuendæ,
 quos vel philautia, vel pigritia prohibet scru-
 tari, an cum ratione & experientia conveniant
 prolata, an eisdem repugnent. Vel in omni-
 bus Medicinæ partibus occurrunt talia, quæ
 quasi

quasi per traditionem recepta, pro veris habentur, rite vero examinata animadversionem justam effugere haud possunt. Committo hoc negotium quam lubentissime aliis, meo iudicio & experientia superantibus, interim, cum Disputationem inauguralem conscrip-
pturo mihi, secundum statuta gratiosae Facultatis Medicæ, Thema quoddam practicum elaborare tenear, nescio quo fato, incidi in Doctrinam de *Enematibus*, & quandoquidem varia inibi observavi, majorem adhuc evolutionem desiderantia, hoc negotii in præsens mihi sumere volui. Faxit Summum Numen, ut & hæc mea conamina cedant in sui

Nominis gloriam & proximi
emolumentum!



A 2

PRO.

PROPOSITIO I.

Enematum Inventionem Ibidi Avi
tribuere velle ad fabulas
referendum.

SCHOLION.

Vix non in descriptione hujus artificii Avis memoratæ HERODOTUM & PLINIUM gregis instar Scriptores Historiæ animalium sequuntur, & perhibent, illam aquæ marinæ, vel aquæ Nili per guttur inferius, rostro loco siphonis inserviente, injectione, alvum tardam felici cum successu sollicitare. Addit GALENUS, magnæ authoritatis Medicus, se vidisse sæpius Ægyptiam illam avem clysteris, & HELMONTIUS, cui purgamenta isthæc alvi sordent, ut eo magis contemptui habeantur, belluinum exinde remedium appellat. Ex hac proinde traditione ortum, quod avis isthæc in symbolum fœditatis & sorditiei cesserit. Qui plura de his nosse desiderat, evolvat GESNERUM, FRANTZIUM in *Historiis Animalium*, KIRCHERUM in *Oedipo*, JOH. DANIEL MAJOR in *Tractat. de Clysteribus &c.* Annumeranda hæc fabula est relationi de Pelicano, qui pullos suos a serpente occisos, sanguine ex pectore excusso, in vitam revocare dicitur, ut in Symbolum intimi amoris, non modo Principum pro lege & grege ad mortem usque pugnantium, Parentum erga liberos,

liberos,

liberos, sed & Salvatoris mundi vix non hodie allegetur. Ad genus Ciconiarum Ibidem avem pertinere consentiunt omnes, ut, quæ de hujus ambulatione juxta littora, de tarditate gressus, & hujus molitie, de cibo familiari, serpentibus puta, & immunditiis macelli, de mansuetudine, de cultu &c. afferantur, aliis ciconiis itidem familiare existat. De rostro saltem disceptatur, an sit incurvum vel aduncum, quod plurimi volunt, an rectum & oblongum, quod præeunte KIRCHERO, qui in *ædipo* figuram ejus expressit, alii determinant. Sed quale sit vel fuerit, utrumque negotio alvum aqua perfundendi, valde incongruum. Quod si enim consideremus, memoratæ avi, si ciconiæ formam possideat, impossibile esse, rostrum sub abdomine ad anum protendere, illic tam alte insinuare, ut aqua ex illo in intestinum rectum & colon influere possit. Qui enemata dextre injicere norunt, tubulum altius paullo intrudunt, quo effluxum momentaneum arceant, nec enim sufficit, marginem intestini illo sollicitasse. Idem esset huic avi observandum, sed obest ipsi prominentia pectoris, ut jam non dicam de impossibilitate hujus injectionis à parte postica, quandoquidem situs intestini recti deorsum tendens omnem rostri, imprimis recti & longioris, quale ciconiæ possident, intrusionem prohibet. Paucus quoque ille liquor, quem rostro capere, & in injectionis usum servare valeret, ad perluendam alvum foret insufficiens; opus præterea foret propulsore, qui immissam aquam ex gravitate descendantem sursum in intestinum pelleret;

A 3

& si

& si fingamus, fieri ad methodum, qua columbæ grana deglutita ex ingluvie faucibus pullorum tradunt, de qua tamen altum penes Historicos silentium, quæ sic requireretur succussatio totius corporis ad excussionem illam necessaria, introitum æqualem liquoris injiciendi plane prohiberet. Quicquid ergo ex hac fabula fluit, in his binis momentis est repositum, methodum nempe referandi alvum esse satis antiquam, & aquam ad Enemata valde congruam.

PROPOSITIO II.

Enemata injecta non ultra curvaturam coli sigmoideam ascendunt.

SCHOLION.

Transire liquores in intestinum rectum immisos longitudinem coli, & ad valvulam hujus nominis penetrare, cui non est persuasum? Imo hi, qui valvulam illam negarunt, quos inter existit Celeb. MAJOR, in Ileum intestinum enemata ascendere posse perhibent. Non jam inquiram, utrum monita illa practica suo robore constant: cavendum à liquoris in anum mittendi quantitate, & huic potius detrahendum sub nephritide, ingravidatione, in vulneratione Coli, in quacunque parte hæc fuerit; item, annon Enemata blando calore suo viscera colo adjacentia reficiant? fœces tractum ejus obsidentes emolli-

emolli-

emolliendo alliciant? ulcerationes in Dysenteria mundificent, consolident? aliosque salutare effectus in intestino colo, hujusque vicinia post se trahant? Si enim ætiologia horum monitorum & cautelarum practicarum in ascensu enematum per tractum Coli fundatur, eandem insufficientem & fallacem esse, omnes circumstantiæ evincunt, quæ sub quavis Clysteris applicatione nunquam non sunt familiares. Has inter memoranda venit

1. *Remissio impetus liquoris injecti*, recto enim tramine ad finem, vel si mavis, ad principium intestini recti pellitur, sub allisione hacce, priusquam in curvaturam proximam intestini coli sigmoideam intrat, omnis hicce à siphone propulsore, vel vesica compressa excitatus impetus vel remittat, necesse est, prouti observamus, corpora in motu constituta ab impetu suo remittere, si quando in alia corpora, præsertim molliora impegerint; vel secundum angulum incidentiæ, vi regularum motus retropellerentur, sicque introitum in intestinum colon præterierent; quo minus vero hoc contingat, blanda & moderata liquoris injectio prohibet. Si ergo nullus Enematis in Colon fortis impulsus, quomodo ad valvulam ejusdem pertingere possit?
2. *Amplitudo Coli circa finem*, quæ quantitatem liquoris raro uncias decem superantis facile capit, ut non opus sit ejusdem ad superiora protrusione. Nec obstat dixisse, curvaturam hancce sigmoideam scybalis quandoque esse repletam, ut spatium
enema

enemati in eo commorandi non concedatur, sicque hoc necessario altiora petere debere; Præter enim, quod hoc non semper contingat, insinuare tamen sese potest Enema in spissiore contentorum substantiam, ut emollita postmodum una ejiciatur, vel si indurata nimis hæc scybala introitum in Colon obturaverint; nec Enemati datur accessus, sed frustra iterum redire assolet.

3. *Absentia novi cunei*, qui liquorem ex curvatura Coli sursum cogeret. In liquore non quæri poterit, qui si etiam elasticus foret, non præcise superiora, sed eodem modo inferiora versus tendere posset; multo minus in motu intestini Coli peristaltico, qui in statu naturali non sursum, sed deorsum vergit.
4. *Obnitentia valvularum* triplici ordine collocatarum, quarum robur sub ascensu tali superandum foret, sed ubi impulsor?
5. *Præsentia fæcum* tam in curvatura memorata Coli, quam in reliquo hujus tractu, quarum aliquando magna farrago, quando alvus sollicitanda. Insinuat sese potius hisce liquor injectus, prout jam dictum, & sic ab ulteriori itinere detinetur.
6. *Situs intestini Coli in homine plane peculiaris*, constat enim penes Anatomicos, principium ejusdem esse circa os ileum dextri lateris, abhinc illud sursum petere ad renem dextrum & hepar, ibidem incurvatum sub ventriculo decurrere ad
hypo-

hypochondrium sinistrum, tandem iterum inflexum deorsum tendere, & curvatura sigmoidea formata, in intestinum rectum finiri. Fingamus ergo, cuidam in sinistrum latus decumbenti, prouti moris est, & situs curvaturæ sigmoideæ exigat, enema injectum, anne sua sponte altius, quam ad renem sinistrum penetrare potest? sub tali enim decubitu reliqua intestini hujus portio in altum elevata introitum enematis nullo cuneo pressi respuit. Nec obstat, quod aliquando sub volvulo Enemata per os rejecta observemus, à statu enim præternaturali ad naturalem nulla valet consequentia. In morbo enim hocce, qui ex sævitia sua Miserere mei appellatur, motus *intestinorum* peristalticus est inversus, hicque tanta quandoque cum vi continuat, ut & scybala in colo reperibilia resistentiam valvulæ illudant, & summa cum ægrotantis anxietate & nausea per vomitum rejiciantur.

PROPOSITIO III.

Effectus Enematum primarius est, una, alterave alvi subductio.

SCHOLION.

Maximum esse catalogum eorum Medicamentorum, quæ alvum obstipatam referare, & contenta

B

ex

ex primis viis, nunc majori nunc minori cum vi expellere potis sunt, nullum artis salutaris tyronem fugit, ut hinc divisio inter eccoprotica, laxantia & purgantia draistica fuerit in Schola Medica recepta. Sed dantur subinde casus, ubi breviori via per enemata alvum sollicitare expedit, quando periculum in mora, ægrotus hernia laborat, flatus à spasmis incarcerati, Ascariides expellendi, scybala indurata Colon obturarunt, vel quando virium ratio habenda, quæ non ita ab enematis, quam laxantibus atteruntur &c. Injecta enim in intestinum rectum, & in curvaturam Coli sigmoideam deducta vel copia sua, vel indole laceffente sunt molesta. Irritatur exinde Natura beneficio sensus interni, & contenta, prævia ab enemate, & fluido intestinorum ex glandulis stillante, emollitione & dilutione, ope motus peristaltici paullo adaucti absque notabili difficultate ex corporis pomæriis proscribit. Si una illa excretionem Colon à farcina sua molesta non liberatur, Natura vel sua sponte motus exclusorios reassumit, vel novis injectionibus ad hoc negotium sollicitanda. Evacuatis hisce, iis quæ in superiori intestinorum tractu reperiuntur, libertas conceditur, presso pede sequendi, donec & itidem debito tempore excludantur,

PROPOÛSITIO IV.

Qui Enematibus tribuuntur *effectus*
secundarii, magis eventus
dicendi.

SCHO.

SCHOLION.

Assolent Medici Clinici recurrere ad Enemata in Nephritide, præsertim calculosa, partu difficili, passionibus colicis, doloribus capitis, affectione hysterica, melancholia hypochondriaca, vulnerationibus & ulcerationibus internis, Dysenteria, morbis soporosis, & quibus non aliis infirmitatibus, ut tam curative, quam præservative suppetias ferant, & certe non parvum exinde percipiunt afflicti solatium; sexus quoque fœmininus illa deamare solet ad faciei speciem conservandam. Quodsi vero solatii fundamentum scrutemur, non residet in ipso effectu enematum, sed in eventu, & prouti in determinandis virtutibus remediorum haud raro fallacia causæ non causæ committitur, ita pariter cum Enematibus esse comparatum, ratio & experientia dicitur. Haud enim, quæ in curvatura Coli terminum habent Enemata ad partes afflictas scandunt, valde ut plurimum remotas, causam continentem non attingunt, ut hanc auferrent, nec ergo contactu suo talem opem afferre possunt, quæ illis vulgo attribuitur; sed sola ratio curationis consistit in eo, ut causas afflictionum tollant, sicque abhinc sic dicta symptomata sponte sua quiescant. e.g. fingamus fœminam partu difficili laborantem, vel quod curvatura coli flatibus & fœcibus distenta egressum fœtus ex utero quodammodo sufflaminet, vel quod dolores spurii nucham & caput petant, vel quod plane fileant. Sub hisce circumstantiis injicitur enema, ut natura hoc stimulo incitata non tantum fœces ab enemate emollitas, ad-

B 2

aucto

aucto motu peristaltico expellat, sed & remotis jam
 in vicinia quisquiliis hisce, exclusioni foetus reniten-
 tibus, etiam ad protrusionem foetus debito modo se
 accingat. Parili modo enemata dolores capitis cicu-
 rare vel lenire valent, quatenus stimulando naturam,
 eandem a congestionibus versus caput institutis ar-
 cent, & ut deorsum humores remittat, ansam sup-
 peditat. Quod ad Enemata carminativa attinet, ex
 sic dictis tonicis & roborantibus concinnata, & in af-
 fectione hysterica, malo hypochondriaco, mensium
 & haemorrhoidum vitiis &c. adhiberi solita, quivis
 vel me tacente intelligit, ea non agere mediante at-
 tractione sanguinis flatuumve, sed sola motus tonici re-
 gularis promotione: Amara etenim injecta arctius sese
 fibris, quam salina jungunt, & *difficilius ab istis abluun-*
tur, hinc sensui interno sunt magis molesta, ut exinde
 Natura sollicitata majori fibrarum contractione opus
 habeat, quo expellantur, validius ergo contractis fibris,
 & ad aucto porro totius coli motu peristaltico, certius
 flatus incarcerati ad exitum compelluntur. Sub hoc ne-
 gotio quoque sanguis vasa hypogastrica magis replet,
 & a calore liquoris injecti horsum allicitur. Sub praes-
 senti ergo majori sanguinis in vasis memoratis quan-
 titate, natura ad ejusdem evacuationem sibi olim sve-
 tam haud raro impellitur. Nec obstant prolatis enemata
sedativa ex oleosis & mucilaginosi parata, & in Dy-
 senteria, Tenesmo, &c. applicari solita, vel *Anthel-*
mintica Ascarides elutriantia. Utrorumque enim
 efficacia itidem reposita est in convenienti evacuatio-
 ne rei heterogeneae parietes intestinorum laedentis,
 qua

qua exclusa, symptomata sua sponte remittunt. Vix ullum vero majus documentum allegare poterò, pro asserto meo roborando, quam ut quisque mecum perpendat, nullum salutarem effectum ab Enemati- bus oriri, si quando in Colo permaneant, nec ite- rum prodeant, adeo, ut lippis & tonsoribus notum sit, novis stimulis reditum illorum esse procurandum, ne diuturniori horum in intestinis mora, pejora damna oriantur.

PROPOSITIO V.

Ad Enematum compositionem tanto, ac vulgo fit, remedio- rum apparatu haud opus est.

SCHOLION.

Prouti ab omni ævo desudarunt Medici in inve- niendis novis remediis, vel in concinnandis ad mi- nimum variis horundem compositionibus, ut re- scindere potius, quam augere eorundem catalogum res ipsa jubeat, ita & enemata parilia fuerunt ex- perta fata. Sane! admiranda est industria nonnul- lorum Medicorum in propinandis gutturi inferiori dapibus hisce varii generis, ut dubium sit, utrum coqui Magnatum tantum apparatus edulium in me- dium producere potis sint. Irritus, sed & superva- caneus foret labor, sigillatim enematum ingredien- tia

tia exponere, cum quivis pro modulo ingenii resumere
 curet vel *aquam simplicem*, vel *marinam*, vel *fontem*
medicatum, *cerevisiam*, *lac*, *serum lactis*, *urinam*, *ju-*
scula carniū, *cremorem hordei*, *avenæ*, *lentium*, *vinum*,
hydromel, *muriam* &c. quibus immiscentur vel inco-
 quuntur multivarie *radices*, *herbæ*, *flores*, *fructus*, *se-*
mina, *baccae*, *succi*, *extracta*, *electuaria*, *roob*, *salia*,
olea, *partes animalium*, *gummata*, *essentia*, *spiritus*, *Mas-*
se pillularum, *butyracea*, *saponacea*, *syrupi*, *saccharata*,
mineralia, & quæ porro, ut hinc suborti fuerint ti-
 tuli *Enematum Cephalicorum*, *Revellentium*, *Sedativo-*
rum, *Hystericorum*, *Nephriticorum*, *Antihæmorrhoidalium*,
Emmenagogorum, *Arthriticorum*, *Anthelmiticorum*,
Carminativorum, *Anticollicorum*, *Antihydopicorum*, *Anti-*
dysentericorum &c. ut Medici vel eo ipso titulo officioso-
 rum coruscant. Verum enim vero, cui bono inser-
 viunt tot enematum variationes tanto cum artificio
 factæ, cum tam varius effectus à tot variationibus
 non dependeat. Ex his, quæ præmissi, facile con-
 stare poterit, Enematum accessum limites habere
 satis arctos, nisi quis ad illam HIPPOCRATIS au-
 thoritate munitam ætiologiam recurrere velit: *omnia*
in corpore esse perspirabilia, ergo Clysteribus immixta
 remeare undique, & vires suas in partibus afflictis
 exserere. Sic quoque evictum datum, effectum Ene-
 matum primarium esse subductionem alvi, & eva-
 cuationem contentorum in intestinis, ex qua deinde
 derivanda tot diversa in œconomia animali commo-
 da. Ad illam evacuationem procurandam non tot
 remediis opus est, sed sufficit, si quando talia injici-
 untur,

untur, quæ diluere & emollire contenta coli valent; addito stimulo, ne hereant injecta, sed iterum excludantur. Observamus proinde ex experientia quotidiana, Enemata simplici modo ex *Aqua, Sale & Oleo* parata eundem post se trahere effectum, qualem vel **PODALIRIUS** de suo artificiosissimo enemate jactaret. Aqua namque diluit contenta coli, si fuerint spissiora, Oleum lubricando vias, exclusionem faciliat, & Sal stimulando agit, ut exinde motu intestinorum peristaltico adaucto promptius excludantur, quæ inibi hærent molesta, & hoc est, quod ab enemate imprimis expectari potuit. Cui volupe est, addere carminativa quædam e. g. *Veronicam, Centaurium minus, flores chamomillæ &c.* quippe quæ tonum *intestinorum roborando, flatus meliori cum successu educere dicuntur*, me non habebit dissentientem, præter enim, quod ex amaritie sua efficaciam enematum certiore aliquando reddant, Medicus in variationibus hisce suam in medendo dexteritatem & inserviendi promptitudinem sat commode detegere potest. Nec minus largior, in morbis soporosis, *apoplexia, catarrho suffocativo &c.* ad excitandam naturam fortiora subinde enematribus admiscenda stimulantia esse; Sed, hætenus prolatis hoc saltem indigitare volui, scrupulosum illum, & tam variabilem enemata concinnandi modum supervacaneum, & inutilem existere. Ut taceam, quod ingredientia enematum spissiora e. g. *conservæ, electuaria tubulum quandoque obturent, & injectionem sufflamment, melleaginea vel olea calidiora ardorem excitent,*

citent,

citent, imo haud raro fuerit observatum, ægrotantes ab enematis magno artificio excogitatis male se habuisse, qui a domesticis simplici ratione factis eximium persensere solatium.

PROPOSITIO VI.

Enematum vices Glandes & Suppositoria non omnino explent.

SCHOLIION.

Reperiuntur haud pauci ægrotantes, qui usum Enematum mirum quantum reformidant, & glandes vel suppositoria, ut intestino recto immittantur, facilius permittunt, imo dantur subinde casus in praxi clinica, in quibus ab his levamentum aliquod observatur, unde non tantum multiplicia suppositoria domestica à mulierculis liberali manu applicantur, verum & materia medica varia ad illorundem compositionem artificialem suggerit, & officinæ in paratissimos usus nunquam non illa servant. Ast effectum ab illis expectare, quem enemata exhibent, non est integrum. Conveniunt quidem in irritanda alvo, in stimulando intestinum rectum sub morbis soporosis &c. Sed si Coli curvatura scybalis durioribus fuerit repleta, quæ à fluidis injectis demum emolliuntur, si quando ægrotus ani procidentia laborat, vel hæmorrhoidibus cæcis divexatur &c. à suppositoriis absti-

abstinendum esse neminem Medicorum fugit. Sub priori casu irrito ut plurimum cum successu ano intruduntur, ut tandem nihilofecius ad enemata sic confugiendum, sub ultimis stimulando lædunt magis, quam adjuvant, ut tenesmus superveniens peccatum commissum nimis cito detegat.

PROPOSITIO VII.

Enemata in morbis Exanthematicis non adeo reformidanda.

SCHOLIION.

Agitata ab omni tempore hæc fuit quæstio: An in morbis acutis, imprimis exanthematicis, e. gr. in variolis & morbillis Enemata tuto applicare liceat, nonnullis ea rejicientibus, aliis vero approbantibus. Haud vero tam difficile erit, quantum ego judico, lites istas componere, si saltem attendamus, quæ circa operationem & qualitatem Enematum in antecedentibus attuli, & in praxi quotidiana sunt fundata. Caveant saltem Medici sibi ab Enematibus acerbis, valde stimulantibus, quibus nisus naturæ, per peripheriam in morbis dictis, se ab impuritatibus massæ sangvineæ inexistentibus liberandi, turbatur; sed applicanda curent, quæ contenta in Colo lubricant, & emolliunt, ut absque ulla molestia vel nisu exitum suum inveniunt, sicque molimina naturæ, peripheriam

C

am

am corporis respicientia, non intercipient. Imprimis sub principio morborum exanthematicorum magnæ utilitatis deprehenduntur, dum exclusis hac ratione fordibus infimi ventris naturæ molestis, huic major conceditur libertas, resistentes in massa sanguinea heterogeneitates ex corpore proscribendi; typo vero morbi jamdum formato, & præsertim in statu, magna cum circumspectione in usum trahantur necesse est, ne congestiones ad peripheriam factæ ad interiora exinde retrovocentur, & dum hic bis peccare non semper licet, ægrotus in vitæ periculum præcipitetur.

PROPOSITIO VIII.

Enemata ex Cortice Chinæ adornata, per errorem vocantur antifebrilia.

SCHOLION.

Vix Medicamentum quoddam est in regno vegetabili, quod Medicos in tot opiniones divisit, ac quidem Cortex Peruvianus, vulgo China Chinæ dictus, aliis eundem summis laudibus evehentibus, aliis vero pro infido & noxio Medicamento habentibus, singulis vero ad experientiam provocantibus. Sed prouti in nullius verba jurandum, sed circumspecte semper inquirendum, utrum prolata cum ratione & experientia fida conveniant, ita hac vice saltem mihi licebit afferre, quod circa Enemata antifebrilia

brilia

brilia chinata iustum mihi videtur. Non diffiteor, cortici chinæ inesse virtutem febrifugam salutarem satis, fidam & efficacem, si modo debita & rationali methodo exhibeatur, quotidiana siquidem experientia hoc cum gaudio febricitantium confirmat. Nec negare volo, febres ab enematis chinatis remississe, imo cessasse, quamvis rarius istiusmodi exempla occurrant, quin potius febres hanc medendi methodum plurimam partem illudant, & typum suum una serie continuent. Hoc saltem asseverare audeo, profligationem febris ab enematis chinatis non derivandam esse ab injectione corticis istius Peruviani, sed ab elutriatione suburræ vitiosæ in intestino colo, mediante enemate facta. Observationes clinicæ nos edocent, methodum curandi febres per enemata chinata feliciori cum successu in infantibus, quam in adultis fuisse institutam, nec rariora sunt exempla febricitantium, inprimis juniorum, qui ex averfatione medicamentorum interne assumendorum, sola enematum vulgari modo compositorum applicatione cum sanitate in gratiam redierunt, nullis aliis remediis usi. Constat quoque penes omnes, in puerorum intestinis quisquillas ex ingluvie & intemperantia, ad quas ætas & parentum nocivus amor haud parum contribuit, admodum cumulari, hinc in his majorem, quam in adultis esse in febriles motus proclivitatem. Si ergo ab enematis fomes ille febrilis subtrahi potest, sua sponte sequitur remissio & fuga hætenus sævientis febris, nec opus est, pro hocce scopo obtinendo, enemata cortice peruviano

acuare. Ut autem assertum hocce meum eo magis roborarem, provoco ad experientiam quotidianam, qua constat, febres ab usu corticis chinæ suppressas iterum revocari, si statim laxantia subjungantur, ut jam inter cautelas practicas sit relatum, profligata a chinato remedio febrim, per octiduum & quod excurrit, nulla esse propinanda laxantia. Si igitur laxantia febrim talem resuscitare valent, quid auxilii ab enemate chinato mox iterum excludendo expectari potest? Nec obstat dixisse: corticem chinæ enemati immixtum virtutem suam adstringentem & roborantem prius jam exseruisse, quam iterum excludatur; præter enim, quod illa adstrictio foret momentanea, per breve illud temporis spatium durans, quo enema in intestino colo commoratur, non tanta coli est sensibilitas, quanta in ventriculo & intestinis superioribus observatur, ut cortex ille peruvianus virtutem suam febrifugam tam felici cum successu inibi exsere possit, quam si interne propinetur. Accedit, quod adstringentia ano immissa, eandem magis solvant, quam contrahant, teste Alumine, medicamento ceteroquin valde adstringente, utpote quod sub forma suppositorii intestino recto immixtum, pertinacissimam alvi obstipationem quandoque solvere solet.

PROPOSITIO IX.

Enemata Tabacina merito e praxi
Clinica proscribenda.

SCHO-

SCHOLIION.

Nimio Tabaci amore correpti fuerint, probabile est, qui, dum fumo hujus herbæ continuo delectantur, ut in sapore ejus tædioso cæteroquin & narcotici quid in sese continente voluptatem quandam experiantur, hinc vix horam absque istius usu consumere valeant; gutturi inferiori quoque fumo isto prospicere voluerunt, & authores exstiterunt, ut intestina fumo tali repleantur, imo in meliorem applicationem instrumentum peculiare, sive cannulam coriaceam excogitarunt, hocque multis modis commendarunt, quasi ad sollicitandam alvum pertinaciter occlusam, colicos dolores levandos, hysteriçam passionem tollendam. motum peristalticum intestinorum in morbo iliaco inversum iterum in ordinem redigendum &c. præ aliis remediis egregiæ esset efficacix. Allegantur in hunc finem effectus sperati in modo dictis affectibus, & in Anglia adhucdum hæc methodus maxime existit familiaris. Verum enim vero, qui in Praxi Medico-Clinica omnes & singulas circumstantias accurate examinat, observabit, tantum abesse, ut præter stimulum paullo fortiorem, peculiare quid ab injecto in anum fumo expectandum, ut potius majora abhinc sint metuenda mala. Quod prius concernit, plura jamdum, quam necessitas exigit, nota sunt remedia, quæ stimulando enematum efficaciam augere, & alvum tandem obsequiosam reddere valent, ut non opus sit ad sordidam

C 3

istam

istam methodum recurrere; vel si istis successus desideratus obtineri nequit, nec a fumo Tabaci quicquam levaminis expectandum; quod ad posterius attinet, uno plura Dn. Præsidi nota sunt exempla, ubi symptomatum ferocia ab immissione fumi Tabaci non parum increvit; nec aliter fieri potuit; intestinum namque Colon sub hacce morbosa constitutione jamjam nimium ultra tonum flatibus est expansum, sicubi ergo novus aër cum fumo Tabaci in illud urgetur, augeantur necesse est anxietates præcordiorum, exacerbentur spasmi, & malum in deterius ruat. Cui notum est ex experientia, quam difficile quandoque fit, flatus superiora versus tendentes per guttur inferius educere, iste sua sponte à deleterio hocce remedii genere abstinebit.

PROPOSITIO X.

Enemata dari nutrientia asseritur magis, quam probatur.

SCHOLION.

Ut tempori & chartæ parcam, nolo jam allegare hypotheses horum, qui per os inferius ægrotum in casu necessitatis nutrirî posse perhibent, nec argumenta afferre, quod alimentorum præparatio priusquam in succum & sanguinem abeant, longe majus desideret negotium, ac quod in intestino colo expectari potest. Sufficiat saltem in præsens provocasse

casse

caste ad absentiam viarum, per quas alimentosa injecta in sanguinem pervenire possint, ut abhinc corpus exinde nutrimentum accipiat, viresque conferentur. Subscribo Anatomicis, qui in principio Coli vasa lactea, chyli transitui in sanguinem dicata reperiri statuunt, ipsemet enim eadem plus simplici vice, in cane aliquot post pastum horis cultro anatomico subjecto, licet numero pauca observavi. Nullus autem hucusque affirmare ausus est, quod ex curvatura Coli quaedam egrediantur, credere vero eadem non est Anatomici. Cum ergo, prout spero, in Proposit. II. evictum datum, liquores injectos limites curvaturæ illius non scandere, facile quoque liquet, injecta gelatinosa, & ad nutriendum cæteroquin satis apta minime inservire corporis pabulo, ejusdemque conservationi, sed iisdem legibus esse obnoxia, quæ in antecedentibus fusius sunt adducta. Novi quidem defensores nutritionis hujus in subsidium vocare clysteres inebriantes, at, ab his ad clysteres nutritientes eadem valet consequentia, ac si quis ab inebriatione à vaporibus rerum spirituosarum, imprimis fermentescentium orta, ad nutritionem per aërem concludere vellet. Haud raro contingunt in Praxi Medica Casus, ubi ægroti per sat longum temporis spatium, ab omni cibo abstinentes inedia haud perierunt, sed sublato morbo, pristinas brevi recuperarunt vires, si ergo sub istiusmodi circumstantiis enema nutriens fuisset injectum, facile suspicio oriri potuisset, hoc mediante vitam viresque fuisse conservatas. Non sane pluris, quantum conjicere possum,

sum,

sum, enemata ad nutritionem faciunt, quam procurando remotionem vitiosorum in canali intestinorum hærentium, quæ actui nutritionis, item circulo humorum, à quo conservatio corporis multum dependet, obesse potuerunt; vix aliter, quam hic ad virium incrementum, qui puerum ab alio in in terram prostratum & detentum, hunc removendo liberat.

PROPOSITIO XI.

Cura Elutriativa, vulgo die Spühl-
Cur, ad supervacaneas, & certo
respectu noxias refe-
renda.

SCHOLION.

Inter curationes morborum novas, magni primum habitas, brevi tamen temporis spatio iterum neglectas, imo plane abolitas merito referenda Cura illa primarum viarum elutriativa, quæ in malo Ilia-
co, colica hæmorrhoidali spasmodica, Dysenteria, Tympanite aliisque affectibus affinibus olim tentata, & tanquam remedium maximæ efficaciam habita fuit. Ut enim flatus incarcerati aliæque quisquiliæ in intestinis reperibiles educerentur, acrimonia humorum corrigeretur, sanguisque attenuaretur, vel aqua calida simplex, vel jusculum carniū tenuissimum, nullo sale vel alio corrigente imprægnatum ano haud
in

in parva quantitate injectum, & hoc negotium singulis horis tam diu repetitum, donec vel mitigatio morbi suborta, vel Medicus coactus fuit, ab hisce conaminibus desistere. Durante hac methode clysmatica, idem fluidum ab ægroto fuit partitis vicibus per os assumendum, quo tali ratione *ἀνω καὶ κάτω* tubus intestinalis probe elutriaretur. Prolixum nimis foret, omnes singulasque super hacce methode occurrentes animadversiones enarrare, temporis enim angustia plenariam earundem dilucidationem prohibet. Sufficiat proinde succinctis verbis demonstrasse, optimo jure hac elutriatione nos carere posse, cum tutiori & jucundiori via incedere queamus. Omne, quod ab hac cura heroica expectari potest, in evacuatione contentorum vitiosorum in intestinis repositum est, sive sint flatus, sive solidiora, sive acres particulæ, parietes intestinorum lædentes, sive viscidæ, tenaces, abstersioni necessariæ haud tam facile obtemperantes. Quem vero Medicorum fugit, pro diversitate materiæ peccantis diversa remedia convenientia in promptu esse, a quibus citius & securius solamen expectandum, quam a molesta illa intestina eluendi methode. Nimis à scopo aberrarem, si hæc sigillatim exponere in animum sumerem, consulantur hunc in finem libri practici Medicorum Celeberrimorum e.g. *Vratislaviensium*, HOFFMANNI, JUNCKERI, aliorumque, utpote qui felicissimi morborum intestinalium debellatores exstiterunt, nulla forti primarum viarum elutione usi.

D

Inter

Inter noxas vero ab hac methodo metuendas, jure refero ingentem toni destructionem, fluida enim in majori quantitate, imprimis calide assumpta, fibras relaxant, appetitum destruant, chylicationem reddunt languidiorem, & futuris novis cruditatibus ansum suppeditant. Fingamus e. g. agro Tympanite laboranti, in quo atonia intestinorum summa, ut flatibus ex elasticitate se expandentibus resistere non possint, adhiberi curam illam clysmaticam & bibitoriam; anne vel levissimum eo ipso obtineri potest levamentum? & nonne potius, debilitato exinde eò magis fibrarum tono, angustia præcordiorum, & respirationis difficultas augmentum caperent? Onere præterea suo & copia forent molesta fluida illa, dum nullo stimulo acuata, sui exclusionem promovere valent, nec à languente intestinorum motu peristaltico, prout necessitas exigeret, possunt protrudi. Ausim proinde certare, nullum Tympaniticum unquam hac methodo fuisse curatum. Langvor præterea totius corporis, & plenaria virium attritio hoc remedii genus presso pede subsequitur. Qui novit, quod ab enematis sæpius injectis vires deficient, facile concipere potest, quid ab hac methodo per aliquot dies quandoque continuata sit expectandum; nota sunt DN. PRÆSIDI exempla nonnullorum, qui finita illa per guttur superius & inferius elutione, tantum totius corporis languorem experti fuerunt, ut longo temporis intervallo, optima licet usi diæta, & præstantissimis

tissimis

rissimis analepticis adhibitis, pristinum robur recupe-
 rare non potuerunt, Pro roborandis tandem haec-
 nus allatis, hoc unicum saltem addo, ipsos Patronos
 hujus methodi jamjam cautius mercari didicisse,
 ut nullum eorundem hancce porro in usum
 traxisse, observaverim.

TANTUM.



D 2

PRÆNO-

PRÆNOBILI & CLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO,

S. & O.

PRÆSES.

A Nimi inter dotes, quibus summum Te ornavit Numen, imprimis celebros Candorem Tuum & vividum ingenium, tanquam requisita Medico practico admodum necessaria. Prius Te impellet, ut egenis æque ac divitibus, amicis æque ac inimicis, sicque omnibus & singulis tuam opem efflagitantibus parili promptitudine manus auxiliatrices sis allaturus; Posterius in ancipiti Tibi subinde constituto, quando morbi vivida indoles, mortem subitanam minitans, protractas deliberationes non admittit, suppeditabit è vestigio consilium salutare, quo mediante ægroto in vite præcipitiis collocato succurrere poteris. Prius comitabitur divina benedictio, utpote sine qua & exercitissimi Medici cõnatus irritò cum successu contingent. Posterius famam Tibi conciliabit Medici felicitis, acceptam satis & conducibilem. Et lætus percipio, Te inter alias Tuas occupationes practicas, quibus fortuna favit, jamjam nonnullos ægros minus curabiles habitos, feliciter restituisse. Deus porro assistat Tuis conaminibus, quo cedant in sui Nominis gloriam, proximi emolumentum, & proprium commodum! Quod Disputationem Tuam inauguralem mihi oblatam concernit, eo lubentius Præsidentem ejus agere decrevi, quo majori affectu Tibi inserviendi occasionem exopto. Vale! & res Tuas feliciter age! Deproperabam e Museo die 10. Maji, A. O. R. MDCCXXXVII.

Pæse.

Poëonia ars, qua trivisti tempora cuncta,
Ad summam laudem nunc TIBI pandit
iter.

Pierides solertes & formosus Apollo
Jam sedulo nectunt laurea ferta TIBI.

Nunc GELLERE TUIS Numen conatibus
adfit,

Ut bene succedant omnia quæque TIBI
Ac TIBI de magno, TIBI qui contingit, ho-
nore

Gratulor, atque mihi, deinde fave, atque vale.

Ita

Viro Nobilissimo & Experientissimo

DN. GELLERO,

*Med. Cand. dignissimo & Pract. Witten-
burgi felicissimo,*

*Fratri atque Fautori multis nominibus co-
lendo, cum suprema Medicinæ laurea
solemniter investiretur*

gratulari voluit

G. LUD. MITHOBIUS,
Med. C. Hanover.

Doctorum conscendis, Doctorande, cathe-
dram

Ut de doctrina specimen ipse dares
Doctrinæ, qua polles magnæ & dexteritatis,
Hoc rubrum testis, imago, TVVM,

Et

Et longe celebris mysteria Apollineæ artis
Es perscrutatus, nulla relicta TIBI.
Accipe laures dulces, quas TIBI præbet
Apollo,
Et floreas, tangat dum caput alta Poli.

*Ita Prænobilissimo & Doctissimo Domino Candidato
GELLERO, pro summo honoris gradu di-
sputanti, breviter & festinante crena sub-
scribere debuit, voluitque, ut valuit*

JAC. HEINR. LAURENTIUS;
Friedland, Medicin. & Phil. Stud.

INvidia En! hodie gliscens & livida pallet,
Mordacique suo rodere dente nequit;
Candida dum virtus lauri exornata corona,
En! nunc invidia hæc pallida pressa jacet.
Gratulor & de fertis ac in vertice lauris
Hæcce TUIS meritis præmia digna geris!

*Praenobilissimo & clare docto DN. DOCTO-
RANDO, animitus gratul. scribebat*

J. BEHM, Neobrandenb.
Med. Stud.



Chm. 255, 29